

§. 1. Sub affuturis Regni Comitibus in Curia Regia et Tabula Banali causae criminales, magistratualis et divortiales, non absimiliter causae pauperum, viduarum et orphanorum appellatae et penes praememoratarum harum causarum in pertractatione prioritatem, reliquae causae quoque civiles appellatae revidebuntur, latae in illis sententiae publicabuntur et in executionem sumuntur; Tabula Regia quoad has causas in duplici quoque Senatu judicare poterit.

§. 2. Provisio §-o 1-mo Articuli 6. An. 1830. contenta relate ad cuncta reliqua Fora sub decursu quoque affuturorum Comitiorum extenditur.

§. 3. Ut vero extra tempus Comitiorum aggregatae causae eo celerius dijudicari valeant: omnis generis appellatae causae penes Tabulam Regiam in duplici Senatu revidebuntur; Praeside Tabulae hujus ex ordinariis ejusdem membris, initio cujusvis termini, ad utrumque Senatum sub toto termino permanentia sufficientia Individua diligente; — de augendo Tabulae Regiae individuorum numero, praemisso ex obtutu necessario, Sua Majestate Sacratissima benigne provisura.

FERDINANDI I. IMP. AUSTR. & REG. HUNG. V. DECRETUM II. ANNI 1840.

ARTICULI COMITIORUM.

In re Urbarii relate ad quasdam legum sub Comitibus anni 1836-ti perlatarum provisiones clarificandas aut modificandas.

Articulus 7.

In reliquo legis hujus dispositio, in respectu consecrationis et devectionis lignorum, ad Comitatus etiam Posega, Veröcze et Szerem extenditur; in quantum nihilominus in nonnullis praeattactorum trium Comitatum Possessionibus consecratio et devectio lignorum hucum in usu non fuit, prout et in Comitatibus Temes, Torontal et Krasso, ubi sub titulo hoc nullae hactenus praestationes obveniebant, hac in parte praeexistens usus deinceps etiam manuteneatur.

De processibus Juris, in sequelam Articuli 14. An. 1827. coram Tabula Judiciaria Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae decurrentibus, ad Tabulam Banalem transderivandis.

Articulus 25.

Dispositio Articuli 14. An. 1827., vigore cujus causae intuitu bonorum nobilitarium, in Partibus Trans-Savaniae sitorum, sub gallico regimine, aut intermedio usque subsecutam Partium earundem reincorporationem tempore coram Provinciali Tribunali Carolostadiensis promotae, ad Tabulam Judicariam Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae relegantur, taliter explicatur et clarificatur: quod